



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. De collatione Sacrorum, prædicatione, impositione pœnitentiarum,
& concessione indulgentiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

bus à jure permiffis, prout colligitur ex *c. dilectus 15. de temp. ord. & ex c. penult. Et ut. de filiis Praeb. c.* cum inferior non habeat jurisdictionem supra legem superioris. Sunt autem à jure certi casus permiffi, in quibus in superiorum etiam constitutionibus, & decretis dispensare potest Episcopus, & praesertim tres enumerantur ab AA. Primò si in lege, aut canone simpliciter dicatur, posse in eis dispensari; debent enim haec verba simpliciter posita significare aliquid, non possunt autem significare, quòd Summus Pontifex aut Consilium in talibus legibus, vel decretis dispensare possit, quòd independenter ab his verbis, in lege positum fieri potest; ergò ut significant aliquid, de aliis etiam intelligi debent, quòd dispensare scilicet in talibus legibus possint etiam Episcopi. Secundò dispensare in legibus Superioris potest Episcopus ex causa magnae necessitatis, aut evidentis utilitatis prius verifimiliter incognitae, & quando periculum est in mora, aut casus sunt frequenter contingentes, prout fit in certis quibusdam, aut casibus ferè quotidianis; pro his enim omnibus semper recurrere ad Pontificem, foret difficillimum, unde merito, & rationabiliter praesumitur, concessa Episcopis licentia circa haec dispensandi. Tertiò denique dispensare contra canonem, aut legem Superioris potest Episcopus, ubi consuetudo legitime praescripta jurisdictionem ei dedit, sicut enim in aliis casibus jurisdictionem dare, & adimere potest consuetudo, ita potest etiam in hac dispensandi materia. Plures quidem alii etiam casus in specie referuntur, in quibus dispensare possunt Episcopi, illi tamen vel ex communibus principiis clari sunt, vel suis locis explicabuntur.

§. VII.

De collatione Sacrorum, praedicatione, impositione poenitentiarum, & concessione indulgentiarum.

AD legem jurisdictionis Episcopalis spectat etiam Sacramentorum omnium collatio, quae ab Episcopo sunt requirenda juxta *cit. cap. conquerente*, vel ab aliis Ecclesiarum non exemptarum suae diocesis curatis conferri possunt, ita ut cum his omnibus cumulativè respectu suorum dioecesanorum concurrat, cum sit ordinarius, & principalis pastor omnium. Et hinc potest etiam ex officio suo per se, vel per alium substitutum verbum divinum praedicare, eoque pascere populum sibi commissum, ut constat ex *c. inter cetera 15. h. t.* & quamvis communiter in sua lingua docere, si plures diversarum linguarum communitates habeat, ita ut possit Episcopum suffraganeum constituere, non tantum in Pontificalibus suum Vicarium respectu populi alterius linguae, sed etiam quoad potestatem jurisdictionis, quae juxta communionem ordinaria ac perpetua sit, subordinata tamen Episcopo, seu Dioecesano loci *c. quoniam 14. h. t.* potest etiam Episcopus ex officio suo publicas, tam solemnes, quam non solemnes poenitentias imponere juxta saepius *cit. c. conquerente junct. Gloss. V. poenitentias*, cum illius sit correctio, & poenitentia delinquentium, & potest etiam concedere indulgentias, non quidem plenarias, sed temporales, quas etiam exempti lucrari possunt, cum in favorabilibus, in eorum praedictum non debet explicari exemptio.

Z z

§. VIII.